

## XIX. M. C. L. LUCCEJO. Q. F. S. D.

«Consolationi respondet, qua se mire levatum esse fatetur, ut forti animo sit, etsi de republica desperet. Caesare quarto consule sive collega.»

Quamquam ipsa consolatio litterarum tuarum mihi gratissima est: declarat enim summam benevolentiam conjunctam pari prudentia: tamen illum fructum ex tuis litteris vel maximum cepi, quod te praeclare res humanas contemnentem, et optime contra fortunam paratum, armatumque cognovi. Quam quidem laudem sapientiae statuo esse maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere rationes. Quae cogitatio cum mihi non omnino excidisset, etenim penitus insederat; vi tamen tempestatum et concursu calamitatum erat aliquantum labefactata, atque convulsa: cui te opitulari et video, et id fecisse etiam proximis litteris, multumque profecisse sentio. Itaque hoc saepius dicendum, tibi que non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror, nihil mihi esse potuisse tuis litteris gratius. Ad consolandum autem cum illa valent, quae eleganter copioseque collegisti, tum nihil plus, quam quod firmitudinem gravitatemque animi tui perspexi, quam non imitari turpissimum existimo. Itaque hoc etiam fortiolem me puto, quam te ipsum praecceptorem fortitudinis, quod tu mihi videre spem nonnullam habere, haec aliquando futura meliora: casus enim gladiatorii, similitudinesque hae, tum rationes in ea disputatione a te collectae, vetabant me reipublicae penitus diffidere. Itaque, alterum minus mirum fortiolem te esse, cum aliquid speres: alterum mirum, spe ulla teneri. Quid est enim non ita adfectum, ut id non deletum, extinctumque esse fateare? Circumspice omnia membra reipublicae, quae notissima sunt tibi: nullum reperies profecto, quod non fractum debilitatumve sit, quae persequeris, si aut melius ea viderem,